

scriberet: tributum etiam annum Romano Pontifici prestari solitum denegaret. Pœnæ exemplum satis metr. orandum reliquit Albertus Austriæ Dux, postea Imperator, Rudolfi Habsburgici filius, quod refert Gerardus de Roo *Hist. Austriac. Lib. I. p. 49.* Viennenses enim novi tum dominii impatientes ad gravissimam seditionem spectabant, ut su-tores quoque jactitarent, se ligneis solearum formis palatis fossas expleturos & reliquæ terræ equaturos. Sed fame coa-cti, cum redirent ad obsequium, hac conditione veniam largiebatur; ut omnia privilegia, que habebant, ipsi traderent. Id cum factum esset, convocatis aulæ primatibus, legi o-mnia jubet, quæque vel sibi vel posteris fraudi putabat fore, discerpit.

### XXXIX.

An interdum fingatur necessitas, nostrum non est determinare. Novitatis studium præ se ferebant Hispani, cum sub ingressum Philippi II. Status Belgici refor-mationem susciperent. Nam novos episcopos statuebant, quasi Germanorum inspectio, quorsum pertinebant Bel-gæ, non sufficeret. Status provinciarum convenire non patiebantur; quasi majestate vix dignum esset, audire suf-fragia subditorum: Imo quod Meursio notatum est *Guili-elm. Auriac. lib. I. ad an. 1559. ut cædibus, relegationibus & bo-norum publicationibus Belgium universum perderetur.* Adde Grotium *Annal. Belg. lib. I.* Nec alia facta premebant Lu-sitaniam, siquidem vera sunt, quæ refert Joh. Baptist. Bir-a-go *Revolut. Portugal. lib. II. pag. 151. seqq.* Nam præter morem, Lusitaniæ status vocabantur in Castiliam, qui con-quereretur in discrimen adduci, fortunas, bonorem & vires. Quin & Equitum Christi ordo sic contemtus, ut Judæis in-signia conferrentur; indignantibus viris illustrissimis, qui abjecto signo, vel carere dignitate, vel sociis parum acce-ptis